

hypotheses, seu theorias motuum observationes exigant, verum adhuc clariora testimonia audies. Porrò assumit D. Præceptor minimam obliquitatem 23. grad. 28. min. futuram, cuius ad maximam sit differentia 24. minutorum. Ex his constituit geometricè tabulam minutorum proportionalium, vt maxima eclipticæ obliquitas inde ad omnes ætates elici possit. Sic fuere minuta proportionalia, tempore Ptolemæi 58, Albategnij 24. Arzahelis 15, nostra ætate i. his ad 24. minu. differentia facta parte proportionali, patet mutationis obliquitatis certam regulam esse deprehensam.

*De mutatione eccentricitatis Solis.*

In Solis motu, cum circa anni fluxam instabilemque quantitatem omnis difficultas versetur, prius de apogij & eccentricitatis mutatione dicendum, vt omnes causas inæqualitatis anni adstruamus; quas tamen regulares & certas ostendit D. Præceptor, assumptis teorijs ad hoc accommodatis. Cum Ptolemæus statueret apogium Solis fixum, maluit vulgatam recipere opinionem, quam suis credere observationibus, quæ parum fortassis à vulgata differant, sed vt certa tamen coniectura ex ipsius narratione elicitur, constat eccentricitatem circa Hipparchum, nempe per 200. ante ipsum annos, talium partium 417. fuisse, qualium quæ ex centro eccentrici est 10000. Ptolemæi autem ætate earundem 414. Arzahelis (cui potiore fidem etiam Regiomontanus noster tribuit) ex maxima æquatione 346. ferè fuisse constat, sed nostro tempore 323. siquidem maximam æquationem non maiorem i. grad. 50. min. cum dimidio, se deprehendere D. Præceptor affirmat.

*De motu Apogij Solis.*

Deinde cum diligentissimè perpenderet motus absidum Solis, & reliquorum planetarum, primum inuenit, vt etiam ex prædictis vides, peculiaribus motibus absidas sub sphaera stellarum fixarum procedere, neque plus conuenire, vt vnomo apparentes motus stellarum fixarum & absidum, nec non mutationis obliquitatis ab vna causa dependere affirmemus, quam si quis vestrorum Artificum, qui τὴν αὐτομάτως motus referunt, vna eademque machinatione singulorum planetarum motus, & apparentias effingere conetur: aut quis pedem, manum, & linguam ab eodem musculo, & vi motrice eadem suas omnes actiones perficere, defendendum præsumeret. Attribuit itaque D. Præceptor apogio Solis duos motus, medium scilicet, & differentem, quibus sub octaua sphaera moueatur.

N 3

tur.